



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 97. Guilielmi Eisengreinii mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

ctorisque laurea decoratus non modo perfecta linguæ Græcæ, & hebraicæ peritia, sed etiam singulari sacræ Scripturæ intelligentia ex ipso primævo textu hausta celebre sibi nomen comparabat, ubi etiam textum Vulgatæ, & Versionis septuaginta Interpretum textui hebraico præferebat, atque utriusque textus apologiam concinnabat, edito quodam opusculo latino in sexdecim libros diviso, quo tamen aliis criminandi ansam præbebat, perinde ac si hebraici idiomatis peritia non nisi leviter tinctus fuisset. Ceterum in præfato libro suo satis aperte monstrabat, quod erga Rabbiorum opiniones, novosque sacri Codicis Interpretes pessime affectus fuerit: scripsit insuper commentarios in Isaiam, & Oseam Prophetas unacum quadam præfatione, in qua septuaginta Interpretum versionem, & vulgatam in illis locis, in quibus ab hebraico textu discrepant, vindicare aggreditur.

§. XCVII.

Guilielmi Eisengreinii mors.

Ad hunc annum Guilielmi Eisengreinii obitus, quamvis certum illius tempus ignoretur, haud temere conjici potest. Hic natione Germanus Spiræ in patria sua Canonicus erat, seque tam

Sæcul. XVI.

A.C. 1586.

Possev. l. c.

Dupin. 4.

part. p. 415.

Sæcul. XVI.
A.C. 1586.

tam scientiæ, quam pietatis merito admodum celebrem reddidit, suæque doctriinæ luculentum reliquit monumentum edito Spirensi Chronico, quod usque ad annum Domini millesimum sexcentimum tertium produxit, annoque sequenti in Urbe Dillingana typis edi curavit: Verum magis adhuc commendatur ob excellentissimum opus, quod *Catalogum testium veritatis* inscripsit, ac Dillinganis itidem literis anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto divulgavit. In eo omnes enumerat Scriptores Ecclesiasticos, qui illius ævi hæreses impugnabant, refellebantque, ubi cuncta juxta ordinem chronologicum recenset, quamvis in horum scriptorum elogiis nimis profusus, atque in dijudicandis, discernendisque rebus minus sagax, consideratusque videatur: equidem Matthias Flaccus Illyricus secta Lutheranus aliquot ante annis sub eodem titulo opus quoddam ediderat, verum longe alio ex fine, quippe hic veritatis testes appellare non erubescit veteres hæreticos Luthero antiquiores, cujus Hæresiarchæ verba cum Apostolorum, & Patrum textibus conferre non dubitat.